Kucharski Andreas: Quaestio metaphysica de distinctione essentiae ab existentia.

QVÆSTIO METAPHYSICA.

DE Distinctione Essentiæ ab Existentia.

A

M. ANDREA KVCHARSKI
Collega Minore, Præposito ad S. Adalbertum in Circulo Cracouiensi.

In Alma Academia Cracouiensi publicè ad disputandum proposita.

Anno Dñi Millesimo, Sexcentesimo, Quadragesimo Primo, Mense Iunio, Die

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.

CRACOVIÆ.

In Officina Typographica Francisci Cesarÿ, Anno Dñi. 1641.

In Stemma perantiquæ Domus

SVŁOVIORVM.



Bellerephon si nunc, aut Amphytrionius heros,
  Lernæis vellet, bella parare feris.
Sułouio insistens antiqnæ digmate, Gentis,
  Gorgoneo fortis bella pararet equo.
Quisquam hoc commodior victor? quem prælia clamāt;
  Prostrauisse hostes, impete præcipiti.

Ioannes Strzyß Eloquentiæ &
Iurisprudentiæ Auditor.

ILLVSTRI
& Magnifico Domino:

D.
CHRISTOPHORO
á Skołyszyn
SVŁOWSKI.
Castellano Zarnouień. Marschalco
Serenissimi Poloniæ & Sueciæ Principis
CASIMIRI.

Domino & Fautori vnicè colendo.

M. ANDREAS KVCHARSKI, S. & P. F.

NOn minùs innata peruetustæ Familiæ Tuæ in omnes bonarum literarum cultores humanitas, quàm mediocres ingenij mei vires effecerunt, Illustris & Mag. Dńe; vt quæ mihi iugis & assidua commentatio Philosophica peperit, non priùs publicam adorarent lucem, donec sublimibus meritorum Tuorum in orbe Polono munirentur titulis, & singulari contra quosuis Philosophici profectus Aristarchos patrocinio munirentur.

Nam sicut præsentissimo vitæ periculo necesse est peruios esse illos, qui omni armorum genere excincti, & solius corporis viribus confisi, cum instructis & nobilibus multarum palmarum gladiatoribus in certamen descendunt: pari ratione & eum non leuem existimationis suæ iacturam pati, cui & natura minùs celeres ad intelligenda quæuis sublimia largita est vires, & fortuna, aut casus aliquis aduersus, illustres denegauit patronos. Experti sunt hanc infelicem sortem viri nonnulli (quanquam fuerint in omni eruditionis genere excellentes,) qui editis in lucem præclaris & vtilibus generi humano suis lucubrationibus, defectu patrocinij, pro laude ignominiam, pro gratia odium, pro honore cõtemptum, pro præmio pœnam reprehensionis, meruerunt. Non apprimè operosum esset plurimos etiam ex nostris scriptoribus scænæ istius choragos in medium adferre, nisi me aliò, & præsentis instituti ratio auocaret, & Tua insignis erga me propensio opportunius quiddam aggredi ac perficere suaderet. Iuuet hoc facere illos, quibus nulla spes promptioris patrocinij affulget, & qui popularis auræ captandæ, non otij in aliquo honorifico studio collocati, reddendi gratiâ, opellas suas publicæ proponunt censuræ: ex quibus vt alterum mirificè abhorreo, ita alterum perlibenter amplector. Neq; dubito quin omnes visò Tuo stemmate gentilitio, benigniorem vultum sint huic conatui meo declaraturi: ita enim Tua incredibilis humanitas, & candor plusquàm candidus, omnium in sui cultum rapit animos, vt vix aliquem eumq; ex maleuolis reperias, qui mores antiquioris Lechiæ in te non libenter suspiciat, & admiretur. Nam vbicunq; locorum virtus Tua

& dex-

& dexteritas in rebus agendis enituit, ibidem simul præclara candoris & humanitatis Tuæ reliquisti monumenta. Lubet nunc plurimis commilitonibus Tuis gratam refricare memoriam, quàm benignus semper fueris in pauperes, quàm alienus ab omnibus etiam iustis exactionibus, quàm rigidus in eos, qui præter necessitatem alicui colonorum molestiores extitissent. Gloriosius multò existimâsti, integritatem Reipublicæ proprio peculio defendere, quàm alieno inhiare. Testantur & recognoscunt id expeditiones Smolensciana & Liuonica: quæ quamdiu florentissimum Poloniæ Regnum stabit, tamdiu gloriosam & iucundam Tui recordationem apud seram posteritatem renouabunt. Nam quisq; similium meritorum æmulator, reputabit secùm diligenter, quid ibi egeris, quàm strenuè cum hostibus dimicaueris, quantum periculi pro libertate carissimæ Patriæ sustinueris, quàm fidum te incolumitatis Serenissimorum Sigismundi III. & VLADISLAI IV. feliciter moderni, Regum Poloniæ, custodem præstiteris: quorum alter Te iudicio suo grauissimo & maximo Senatoriâ dignitate ornauit: alter comitem itineris, & negotiorum moderatorem, Serenissimo Principi Casimiro, dum Viennam Austriæ Metropolim, proficisceretur, vt Serenissimam Principem & Dominam D. Renatam Cæciliam Archiducissam Austriæ, sanctissimo matrimonij vinculo sibi copularet, designauit. In quo munere obeundo, quanta Tua, Illustris & Magnifice Domine, prudentia & authoritas eluxerit; quanta grauitatis, temperantiæ, pietatis existimatio in animis omnium excitata sit; manifestis cunctorum vocibus comprobatum est. Nemo erat in vniuerso illo lectissimæ

 simæ

ſimæ Nobilitatis Polonæ comitatu, qui te vt conciuē impenſo non proſequeretur ſtudio; nemo, qui vt Senatorem, non ſubmiſſa dignaretur veneratione; nemo, qui vt Parenti, debitū pietatis cultum non præſtaret; nemo, qui vt Præſidem in omnibus ſuis actionibus, non imitaretur. Difficile fuit cognitu, magisnè quemlibet illorum intra cancellos modeſtiæ, humanitatis Tuæ dignitas, an officij ratio continuerit? Sed de his copioſiùs cæteri, quorum id muneris eſt, ſeram informabunt poſteritatem: quæ Te conſilio felicem, eloquentiâ grauem, rerum agendarum dexteritate expeditum fuiſſe ſemper prædicabit. Mihi ſuffecerit ſumma tantum capita meritorum Tuorum attigiſſe, & reducto aliquantulùm velo, tanquam in tabula ſeriem rerum á Te geſtarum reueláſſe; cùm tam breui ſcriptione exactas Tuarum virtutum imagines comprehendere, poſſibile non ſit, quæ tot annorum ſpatio, in animis omnium ſunt exaratæ. Viuent æternùm eximia in Sacratas P P. Religioſorum Familias egregiæ pietatis Tuæ monumenta: quas beneficijs ampliſſimis foues; ſingulari gratia promoues; illuſtri authoritate tueris ac complecteris. Nunquam obliuiſcentur Tui beneficij Tinecenſe, Bielanenſe, & Staniatecenſe Aſceteria: in quorum bonis, ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicandis, talem Te arbitrum præſtitiſti, qualem & zelus Eccleſiæ, & æquitatis ratio expoſcebat. Teſtatus es in eo negotio, pluris apud Te deſcriptam legibus iuſtitiam, quàm illuſtris generis gratiam valuiſſe. Declaráſti abundè, plùs conſcientiæ, quàm amicitiæ; plus æquitati, quàm alienæ cupiditati, concedendum eſſe. Quare illuſtribus his virtutum meritorumq; Tuorum ornamentis fretus, in Palæ-

ſtram

ſtram Philoſophicam progrediar; ſpei bonæ plenus, me ſi non victorem, at certè non vſq́ quaq́ infelicem Tuis ſub auſpiciis athletam, ex ea deſcenſurum. Maieſtatem interim diuinam ſupplicibus exorabo votis, vt fauſtam proſperamq́ efficiat Tuam incolumitatem; faciat amænam iucundāq́ ſenectutem, vigorem animi corporisq́ adaugeat; dies deniq́ ſerenos & auſpicatos iſti ætati, quæ ſæpenumerò ſolet aliјs moleſta videri, largiatur. Cracouiæ in Collegio Minori, Die 26. Maij. Anno M. DC. XL I.

QVÆSTIO DE DISTINCTIONE ESSENTIÆ AB EXISTENTIA.

V. Eſſentiæ rerum creatarum, de ſtatu poſſibilitatis ad actualem, virtute cauſarum, tàm primæ, quàm ſecundarum, translatæ; ſupra graduum Metaphyſicorum pluralitatem, requirant exiſtentiam; à quâ, ceu res à re, diſtinguantur; cum illaq; veram efficiant compoſitionem, néc ne?

CONCLVSIO I.

EsSentiæ rerum creatarum, de ſtatu poſsibilitatis ad actualem, virtute cauſarum tàm primæ quàm ſecundarum transferuntur.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Productio rerum tàm materialium, quàm immaterialium præsupponit possibilitatem.*

2. *Possibilitas rerum producendarum, denominationem recipit, tàm ex causa efficiente, quàm materiali, vel quasi materiali.*

3. *Efficientia conferens rebus actualitatem, etiã secundum esse essentiæ, optimè reuocatur in causam primam, & secundas.*

4. *Ex causis efficientibus, necesse est alias esse tales per essentiam, alias per participationem.*

5. *Antequam res per causam vtramq; producantur, licet non sint aliquid in seipsis; contradictorium tamen Entis ab illis est alienum.*

CONCLVSIO II.

Essentiæ rerum creatarum sunt fundamenta graduum Metaphysicorum sibi subordinatorum.

COROLLARIA.

1. *Ex dictis gradibus, quidam habent se per modum determinabilis; quidam determinatiui.*

2. *Gradus determinabiles & determinatiui, sumuntur immediatè à natura specifica, variam considerationem per analogiam ad formã admittente.*

3. *Inter gradus reperitur certus ordo Metaphysicus, quo ita petunt adinuicem vniri; vt non possint alio modo; neq; singuli cum singulis, sed cum determinatis.*

4. *Pluralitas graduum non requirit pluralitatem formarum in composito; quàm falso plurimi adstruunt.*

5. *Gradus essendi Metaphysici solâ ratione rationatâ distinguuntur.*

CONCLVSIO III.

Essentiæ rerum, vt extra causas ponantur, ex vi productionis requirunt existentiam, ceu vltimum suæ perfectionis complementum.

COROLLARIA.

1. *Essentia respectu existẽtiæ importat potentialitatem; non puram, sed mediam, inter puram potentiam, & purissimam actualitatem.*

2. *Existentia habet se ad modum actus; qui quidem primus est in ordine actus secundi; respectu essentiæ vltimus.*

3. *Inter essentiam & existētiam mediat subsistētia; cui primo & per se in substantialibus compositis conuenit existentia, & mediante illa essentiæ.*

4. *Principium quasi materiale existentiæ est, ipsa essentia; formale extrinsecum Idea diuina; intrinsecum forma cōcurrens Physicè ad constitutionē rei.*

5. *Existentiæ effectus formalis est, ponere rem extra nihil: qui consistit, non in simplici extra causas positione, sed in receptione alicuius ab alio.*

CONCLVSIO IV.

INter Essentiam & existentiam interuenit compositio realis vera.

COROLLARIA.

1. *Essentia & existentia sunt extrema realia Metaphysica.*

2. *Existentia supra essentiam addit actualitatem complentem eam vltimatè in ordine Entiū realium.*

3. *Compositionem ex essentia & existentia consequitur vnitas, quæ neq; sit per se, neq; per accidens.*

4. *Ex compositione essentiæ cum existentia, non est necesse resultare tertium, ab vtroq; distinctum.*

5. *Compositionem ex essentia & existentia, non consequitur generatio & corruptio, sed recipere & recipi.*

CONCLVSIO V.

Eſſentia ab exiſtentia in rebus creatis tàm materialibus quàm immaterialibus, diſtinguitur realiter.

COROLLARIA.

1. *In Deo eſſentiam ab exiſtentia neceſſe eſt longè minùs diſtingui, quàm in rebus creatis.*

2. *Exiſtentia non intrat quidditatem rerum creatarum.*

3. *Exiſtentia rei creatæ, poteſt ſuppleri per exiſtentiam entis increati.*

4. *Licet in rebus creatis eſſentia & exiſtentia realiter differant; non tamen eſt neceſſe, vt vnũ poſſit ab alio ſeparatim ſubſiſtere.*

5. *Accidentibus præter Subſtantiæ exiſtentiam, etiam propriam adeſſe inficiari non poſſumus.*

SVb felicibus auſpicijs Perilluſtris & Admodum Reuerendi D. IACOBI NAYMANOWIC. I. V. D. Canonici Cracouieñ. Archidiaconi Pileceñ. &c. Vniuerſitatis Cracouieñ. Generalis

RECTORIS.